Zu der

öffentlichen Prüfung

des

Fürstlich Schwarzburgischen Gymnasiums

zu Sondershausen,

welche den 18. und 19. März 1861 Statt finden wird,

ladet ehrerbietigst ein

der Director Dr. W. Kieser, Schulrath.

Inhalt:

Sondershausen, 1861.
Gedruckt in der Eupel'schen Hofbuchdruckerei.

De J. N. Madvigii emendationibus Livianis disputatio. Lib. I—III.

Scripsit

Gust. Queck.

Edidit nuper emendationum Livianarum magnum volumen Jo. Nic. Madvigius, professor Hauniensis celeberrimus *), qui iam antea in aliis libris philologicis **) multa perscripserat, quae ad emendandam Livii orationem pertinerent. Is quum inde ab adolescentia Livii libros diligenter lectitasset, et postea novis subsidiis criticis, quae vel ab aliis interea parata vel ipsi suppeditata essent, allectus adiutusque retractasset, in multos locos se incidisse fatetur, in quibus meliorem, quam quae in editionibus circumferretur, scripturam aut e codicibus sumi posse aut aliorum aut denique sua coniectura repertam esse iudicaret. Quidquid igitur novi ex hac opera Livio dedita, saepe intermissa saepeque resumpta, ad eius libros mendis liberandos aliorumque studia adiuvanda a se conferri posse arbitratus esset, nunc sic se comprehendisse dicit et in unum corpus congessisse, ut de rebus ipsis a Livio traditis omnem quaestionem, quae non cum verbis et orationis forma veraeque scripturae constitutione coniuncta esset, studiose evitaret, haud pàuca vero, quae a prioribus editoribus merito recepta, a recentissimis interdum nimia codicum superstitione ductis reiecta essent, defenderet et in suum locum restitueret.

Quod et magnae molis eruditionisque et haud mediocris promissionis opus, quippe quod a tam praeclaro et per multos annos inter Germanos quoque celebrato viro profectum sit, multorum studia non poterit non excitare mentesque exercere. Proximi anni auctumno quum mihi a viro amicissimo W. Weissenbornio, Livii editore et interprete doctissimo, laudatum et commendatum esset, per aliquot menses omne otium consumpsi

*) Hauniae MDCCCLX sumptibus Gyldendal (F. Hegel). 8. p. 638.

**) Cf. Madvig. commentt. in Cic. de finn. Opusc. acad. Gram. lat. ed. pr. Ingerslevii editt. libr. Liv. Hauniae, 1853, 1854.

in his Madvigii emendationibus cognoscendis et examinandis, iamque hac commentandi opportunitate sic utar, ut universam viri doctissimi rationem et artem consiliumque, quod in Livii criticis praesidiis explorandis et in oratione constituenda secutus sit, breviter enarrem et iudicem, quasque in singulis locis emendationes probandas vel ferendas, quas non probandas esse ducam, causis meis qualibuscunque interpositis, libere et ingenue proponam.

A codicum aestimatione initium capit M., quibus Livii opus continetur. Quod quum propter amplitudinem particulatim olim describeretur, atque suum sit singularum decadum e diversis codicibus archetypis per separatas codicum stirpes propagatarum quasi instrumentum suusque subsidiorum apparatus, antequam ad decem primorum librorum locos, de quibus primum disputaturus est, transgreditur, praemonet quaedam de codicum horum et cognatione et universa fide, et nonnulla in hoc genere uberius explananda firmiusque constituenda esse censet, quam adhuc factum sit.

Ac primum quidem omnes dicit consentire *), quum etiamnunc palimpsesta Veronensia **) delitescant, ceteros omnes primae decadis Livii codices, qui aetatem ferant, unius esse stirpis ductae e Nicomachorum fratrum et Victoriani emendatione; neque vero ex ipso hoc communi omnium nostrorum codd. supremo fonte et origine nostros statim descriptos esse, nec eum archetypum, ex quo nostri omnes transscripti sint, habendum esse cod. Nicomachorum ipsum, sed illum originem tantum a Nicomachorum recensione repetere, aetate posteriore confectum illisque codicibus, qui nostrorum antiquissimi sint, tempore propiorem esse. Censet enim M., habitum, quem eius codicis, ex quo omnes nostri originem ducant, quique hodie haberi soleat archetypus, fuisse probabile sit, non cadere in codicem vere archetypum, i. e. in codicem Nicomachorum Symmachorumque

*) Cf. Weissenbornii edit. Liv. Teubn. alt. praef. p. LXXIII. seqq. Mart. Hertzii edit. L. Tauchn. T. I. p. XXXII. seqq. Alschefskii ed. mai. Vol. I. p. IX. seq.

**) A. W. Zumptii de codice antiquissimo Veronensi commentatio (Berol. 1859, progr. gymn. Fried. Guil.) paulo amplior et accuratior Madvigio nondum innotuisse videtur. Is quorundam locorum et cod. Veron. et Medic. lectionibus inter se comparatis effecit p. 37: „antiquissimum esse cod. Veron. atque antiquiorem adeo quam eum, ex quo Mediceus reliquique primae decadis Livianae expressi sint: quem ipsum reliquorum quasi parentem ex tribus Symmachianorum amicorum recensionibus tanquam conflatum saeculique quarti more vocabulis continuis nec spatio discretis scriptum fuisse coniecimus.“ Pag. 8: „permulta in eo menda ex mera literas pingentis negligentia orta inveniri, neque emendatorem adhibitum esse,“ cf. p. 27. P. 31 ad loc. III. 18: „a nemine librum emendatum esse;“ p. 34: „librarius (Veron.) quem indoctum nec ullius eruditionis fuisse vidimus.“ Neque statuendum esse censet, Symmachianum exemplum male expressum esse a Veronensi librario, sed Veronensem librum ex diversae originis codice profectum esse comparatione facta cum Medicei libri erroribus demonstrat. Idem vir doctissimus diversitate lectionis III. 7 extr., quae in Veron. et ceteris codd. deprehenditur, proposita, sic iudicat p. 23: „tenere igitur in his videmur diversarum recensionum vestigium, ut Veronensis codex manum Livii, reliqui Symmachianorum amicorum emendationem exhibeant.“

tempore scriptum et correctum. Nam genera et formas vitiorum mendorumque non solum, sed etiam superscriptarum adnotationum emendationumque et rationem et frequentiam, quales in nostrorum codd. archetypo fuisse demonstrari possit, omnino a primo illo Nicomachorum codice alienas fuisse.

Nostros codd. omnes, antiquissimos quoque (Rhen. Vormat., Medic., Paris., Leidens. I.) ex uno codice, qui ex Nicomachico exemplo descriptus et ipse amissus sit hodieque pro archetypo habeatur, ortos esse, verborum quorundam pravis locis repetitionibus vel omissionibus, vel maioribus lacunis totorumque foliorum evulsione, denique mendorum vitiorumque quadam communione ad omnes nostros codd. constanter ac pertinaciter propagatorum confirmat et exemplis haud paucis propositis comprobat. Qualis vero fuerit ille, quem dicit et animo cogitat Madvigius, archetypus, ut accuratius cognoscatur, genera illa vitiorum communium, quae cum in omnium Latinorum scriptorum codicibus, tum in Livii primae decadis manuscriptis ad nostram memoriam propagatis inveniantur, enumerat et recenset.

A rebus primum pusillis exorsus magnam fuisse in codd. Livianorum archetypo in litera *m* in fine vocum addenda detrahendave licentiam, quam nuper editores quidam superstitione nimia ducti et miris excusandi artificiis usi serviliter secuti sint, contendit, eiusque pravitatis, quam dicit, compluria exempla affert *). Deinde in Livii codicum archetypo alterum idque gravius mendorum genus late patuisse significat, ut voces casu, genere, numero prave accommodarentur ad vicinas, eiusque generis haud pauca e libro tertio et quarto exempla memorat. III. 6, 3 *ea colluvione* pro *colluvio;* 13, 8 *vades publicos dedit* pro *publico;* 18, 3 *demerendo beneficio* pro *demerendi;* 40, 7 *quoscunque magistratus* pro *quodcunque, mag.*, de quo loco infra videbimus; 40, 11 *de eo quo — insimulent* pro *quod*, recepit Weissenb. 50, 11 *insecutosque* pro *insecutique;* 56, 12 *in quam conspirasse* pro *quod*, v. infra. IV. 8, 6 *id quod tunc erat magis necessarium* pro: *id — magis necessarii;* 13, 4 *certaminum* pro *certamine;* 35, 6 *ad spem consulatus in partem revocandam* pro *revocandi;* 49, 11 *dignum enim esse* pro *dignos.*

Tertium mendorum genus e codice archetypo ad omnes propagatorum in verborum vicinorum transpositione cerni vult Madvigius, ut praef. 5: *prisca tota illa mente*, pro: *prisca illa tota mente;* IX. 6, 12: *non reddere salutem, non salutantibus responsum dare*, pro: *non redd. sal. salutantibus, non responsum dare* (cf. X. 18, 11: vix enim mutua salute reddita,) aliaque, quae etiam ab editoribus iam recepta

---

*) Eiusmodi peccata in Veron. libro permulta inveniri Zumptius l. l. p. 8 demonstrat: „omnino haec literae *m* vel omissio vel adiectio pro vitio vix haberi potest.“

sunt. Ceteris errorum generibus, qui vel in geminatis literis et syllabis vel in semel scriptis, quae bis scribi debebant, continentur, vel ex pravo librariorum iudicio orti et iam ex archetypo ad omnes posteriores codices propagati videntur, breviter memoratis, transit ad illud iam in archetypo codice late patens genus, quod et verbis ad orationem explendam sententiamque declarandam sive supra sive in ordine adscriptis posteaque errore in ipsam orationem receptis, et narrationis argumentis contineatur adnotationibusque deinde ipsi orationi Livianae insertis. Praeter singula iam ab aliis editoribus vel notata vel recepta eiusmodi interpretamenta multo plura Madvigius statuit, ut I. 32, 12 *sanguineam*, II. 18, 4 *nec quo anno*, III. 1, 5 *propinquam*, IV. 21, 7 *aut oppido*, VI. 17, 2 *populares*, VIII. 12, 16 *ventum sit*, IX. 18, 11 *cum fortuna*, alia. Refert huc Madv. eos quoque locos, in quibus duplex scriptura i. e. vox ad Livii aliquod verbum interpretandum supra scripta, deprehendi videatur: X. 37, 15 *effatus* superscr. *sacratus;* ibid. 32, 4 *vastare* superscr. *intrare.* Quum aliquot locis in omnibus codicibus primariis et codicum familiis eiusmodi duplex scriptura supersit aut eius vestigia, neminem dubitare posse, quin in archetypo fuerit, affirmat, atque quod in aliis locis tantum in codice Mediceo et uno alterove praeterea aut etiam in solo Mediceo duplex scriptura inveniatur, inde non suspicandum esse censet, eam his locis non in communi omnium nostrorum fonte fuisse, idque exemplis quibusdam propositis comprobare conatur.

Quo modo postquam codicis archetypi habitum significavit et demonstravit, eum et ipsum multis locis mendose scriptum nec mediocrem errandi materiem librariis praebuisse, rationem suam et sententiam, quam in diiudicandis et constituendis Livii verbis in nostris codicibus exhibitis secuturus est, proponit hanc: *libere sed caute et ad rerum sententiarumque probabilitatem et ad orationis legem usumque Livii exigenda esse etiam quae testimoniorum consensu in archetypo fuisse cognoscantur, omnemque ex hac re tollendam superstitionem.*

Haec testimonia, i. e. singuli, qui ad nostrae aetatis notitiam pervenerunt, primae decadis codices eorumque virtutes et proprietates in iis, quae sequuntur, describuntur, atque critici nostri hac in re iudicia haud multum discrepant ab iis, quae iam ab aliis viris doctis et probata et prolata sunt*). Praecipue vero ea memoratu digna sunt, quae de codd. singulorum inter se cognatione deque consensu vel dissensu eorum exponuntur. Quanquam enim omnes ad nostram memoriam propagati codd., id quod omnes ad unum Livii editores iam pridem statuerunt, ab uno archetypo orti sunt, tamen inter singulos haud parvam discrepantiam intercedere atque in sua quemque ac propria archetypi stirpe a ceteris separata ponendum esse censet. Sic duos praestantissimos libros, Mediceum

*) Cf. Weissb. edit. Teub. II. vol. I. p. LXXII, Hertz. p. XXXII sqq. Alsch. ed. mai. I. praef.

et Vormatiensem inter se simillimos et prope gemellos, ex uno codice e communi archetypo orto transscriptos et a ceteris seiunctos esse demonstrat, atque quum Vormat. scripturae non satis plene clareque a Rhenano ad nos traditae sint, Medicei libri, quanquam haud raro miris multisque erroribus inquinati, primae manui summam omnium auctoritatem tribuit*). A Medicei et Vormat. stirpe non minus quam a deterioribus codd. Harl. I. Leid. I. seiungendum esse Medicei auctoritati proximum Parisiensem**) putat, non solum „quod in eo sunt, quae illi in lacunis, transpositionibus, duplicibus scripturis, adnotationibus in margine receptis propria habent, sed etiam suis peculiaribusque erroribus ad indicium perspicuis et certis, qui quoniam in deteriores non transierunt, hi quoque ab illius stirpe segregantur.“ Suam igitur stirpem et a Medic. Vormat. et a Paris. separatam sequi, quos tertio loco nominat, Leidens. I. et Harl. I. non plane contemnendos, locis haud paucis collatis et examinatis demonstrat; denique a codice aliquo cum Leid. I. Harl. I. et Paris. cognato ortos esse deteriores codd. (Sigon. Palat. II., Oxon. Hearn., Harl. II., Gaertn., Havercamp., Lovell. alios) errando, corrigendo, audacter interpolando longe ab origine deflectentes contendit***).

Sequitur igitur Madvigius id consilium, ut primum e codicibus, qui superstites sunt, inter se comparatis archetypi et in singulis locis lectiones et universum habitum enucleet et in lucem proferat; atque ea in re in usum suum vocat, quidquid ex studiis et ingeniis virorum doctorum et superiorum, Rhenani, Gelenii, J. Fr. Gronovii, Crevierii, aliorum, et recentiorum, Kreyssigii, Bekkerii, Alschefskii, Weissenbornii, Hertzii, ad Livii orationem constituendam et emendandam redundavit, haud raro indiciis acerbis et nescio an iniustis de antecessoribus propositis†). Deinde id agit, ut ea, quae in archetypo scripta esse sibi persuaserit, examinet atque ad rem, sententiam, orationem Latinam, Livii usum exigat, et si quid discrepare videatur, indicia et notas veritatis persequatur et excogitet, quae iis apte conveniant. Qua in re satis libere lateque evagatur et nonnunquam audacter grassatur, nec ubique ea, qua fas est, ducitur antiquitatis religione.

*) p. 25: „Certat in hoc codice cum magna religione non minor imperitia, quanquam ut nunc res est, quid huius ipsius codicis librario, quid communi eius et Vormatiensis parenti debeatur, indicari nequit; accessisse in extremis libris videtur aliqua ex taedio negligentia.“

**) Haud dissimilis Paris. est Klockianus atque in eadem secta Hertzio ponendi videntur Bamberg. et Einsiedl.

***) Habemus igitur ex Madvigii iudicio stirpium ac cognationum codicum hunc conspectum: A. exemplum Symmach. B. cod. archetyp. C. stirpes: 1) Vormat. Medic. 2) Paris. (Klock. Bamberg. Einsiedl.), 3) Harl. I., Leid. I., 4) deteriores.

†) Hac in re factitanda non liberum fuisse nescio ira et studio dicam an fastu quodam et contemptu eorum, qui viam muniverunt, virum Danum, ne de aliis dicam, convicia et probra, quae in virum defunctum eumque de Livio satis meritum, quanquam haud raro errantem, Alschefskium, effundit, ostendunt; quae ex libro summae eruditionis et doctrinae plenissimo transscribere taedet.

In magno emendationum et coniecturarum numero multa esse diligenter et acute aperta, ingeniose et subtiliter excogitata, eleganter ac probabiliter proposita, lubenti ac grato animo fateor; alia dubia aut falsa esse, haud pauca immerito in suspicionem vocata, pleraque ex legibus quibusdam normisque ex proprio privatoque critici arbitrio et libidine ortis, non semper ad veram rerum, verborum, Liviani dicendi scribendique generis rationem ac condicionem accommodatis, statuta et affirmata esse, videbimus, si longiore eorum, quae prooemii loco praemisit, quaeque supra carptim notavimus, exploratione missa, singulas emendationes, quas vel ex codd. scripturis indagavit vel ex suo ingenio deprompsit, deinceps comparaverimus et examinaverimus. Scilicet legibus a se praescriptis, quamvis sagaciter excogitatis et ad persuadendum apte propositis, nimis indulget, et archetypo suo, non vero quidem, sed ficticio et ex comparatione et similitudine posteriorum codd. constructo, nimiam auctoritatem impertit, atque hic illic vel ex praeiudicata quadam opinione vel ex elegantiae sensu suam sententiam et iudicium, per se quidem elegantissimum et eruditissimum, veteri scriptori obtrudit et inculcat. Livius quum multiplicis generis argumenta ingentemque rerum molem narrando persequeretur et ex variis nec raro obscuris fontibus repeteret, in aliis porro rebus admiratione quadam et gaudio, in aliis molestia et taedio afficeretur, consentaneum est, dicendi quoque genus eius diversis in locis diversum fuisse, modo simplex, expeditum, pressum, aequale leniterque profluens, modo ornatum et numerosum, copiosum et exaggeratum; scriptorem modo tam accurate auctores suos sequi, ut interdum ab iis verba etiam mutuetur, modo sua mente omnia concipere et effingere suoque orationis uti instrumento et apparatu; nunc festinare et cursim transire, nunc subsistere et commorari; alias partes summa arte descriptas et perpolitas esse, alias leviter notatas nec satis retractatas!*) Non licet orationem et verba scriptoris alicuius ad summam elegantiae legem et normam perfectissimam omnibusque numeris absolutam in quovis loco exigere; inveniuntur apud optimos quosque scriptores etiam multa, quae minus placent, quaeque, si ferri ullo modo possunt, ferenda sunt.

His igitur de universa Madvigii, quam in Livii oratione constituenda secutus est, ratione praemissis, transeamus iam ad singulas emendationes recognoscendas; in quibus, quum non solum notae et signa, quae in codicibus tradantur, bene aperta et illustrata sint, sed etiam legis grammaticae, interpunctionis, sententiarum contextus et convenientiae, orationis perpetuitatis, membrorum verborumque aequabilis compositionis ratio habita sit,

---

*) Cf. Weissb. edit. Weidm. I. p. 34. sq. Teubn. edit. II. p. LXIV. Bernhardy, roem. Liter. p. 544: „Es kommen viele Unebenheiten vor."

permultas inveniri, quae vel veritatis vi vel probabilitatis specie commendentur, supra professi sumus. Quo in numero fere has habemus. I. 12, 3: Quae leguntur: *Romana inclinatur acies fusaque est ad veterem portam Palatii. Romulus et ipse* q. s., interpungendo emendat — *fusaque est. Ad veterem portam P. Rom. et ipse,* — ut significetur, quo loco fuga constiterit fortunaque conversa sit. Nihil moror, quanquam fere eandem significationem vulgatae interpunctioni inesse puto. Nam Romulus et ipse turba fugientium actus ad veterem portam Palatii, ad quam inclinata acies fusa est, preces ad Jovem mittere coepit. Postquam Livius significavit, Romanum exercitum complesse campum inter Palatinum Capitoliumque iacentem, deinde in adversum montem subiisse, recte addidit, usque ad quem locum fusus fugatusque pervenerit. — Cap. 14, 9 scripturam a Med. servatam: *prius paene quam Romulus quique cum eo quique cum equis abierant, visi erant* — e duabus conflatam esse ostendit, et correctione adhibita recipit alteram: *quique cum eo visi erant* (Harl. I. Einsied. Helmst.): „significantur enim equites, qui se initio cum Romulo oculis Fidenatium soli obtulerant, portae obequitantes, magis quam vere pugnaverant." — Cap. 27, 1: *commissa fuerat* pro *fuerit.* Cap. 40, 4: *ut in eadem civitate post centesimum fere annum quam Romulus deo prognatus deus ipse tenuerit regnum, donec in terris fuerit, id servus serva natus possideat,* pro *annum quam R.* elegantissime legit *annum, quod R.,* „voce relativa a librario accommodata ad temporis notationem." — 43, 5: *tertiae classis quinquaginta millium censum esse voluit* deleto *in,* refutatisque editorum priorum interpretationibus. — 48, 6: *Esquiliarum* pro *Esquiliarium* forma inaudita. — 56, 7 *iuvenis longe alius ingenii,* ut *alius ingenii* coniungatur, pro *ingenio.*

II. 1, 11 recte tuetur meliorum librorum scripturam: *conscriptos, videlicet novum senatum, appellabant lectos,* bene ante *videlicet* commate posito, et explicat, nomen *conscripti* sic impositum Livium dicere, „tanquam novus hic senatus esset", (videlicet = credo quasi novum senatum). Cap. 2, 3 *pro offenderit* secundum legem grammaticam scribit *offenderet*).* — 12, 16 librorum optimorum auctoritate recentiores editiones habent: *mea prima sors fuit; ceteri, utcunque ceciderit primi — aderunt;* quae lectio sententiam bonam per se habet, neque omnino ad falsam Alschefskii interpretationem confugiendum est, qui ad verba *utcunque ceciderit primi* vocem *sors,* quae supplenda est, alio sensu de eventu fortunae „welches Schicksal auch immer der Erste (qui esset ipse Mucius Scaevola) gehabt haben mag," intelligere vult. Sed Madvigii facillima emendatio *ut cuiusque ceciderit primi* placet, i. e. ut quisque primus sorte ductus fuerit, eo magis, quod simili modo legitur XXI. 42, 3: ut cuiusque sors exciderat, XXIII. 3, 7: quod primum sorte

*) Cf. Draeger, Untersuchungen über den Sprachgebrauch der röm. Historiker. Güstrow, 1860.

nomen excidit; cf. XXII. 1, 11. Quae exempla haud scio an demonstrent, nostro loco pro *ceciderit* legendum esse *exciderit**) — 19, 7: *nec fefellit veniens* (Aebutius) *Tusculanum ducem, contra quem et ille incitat equum,* ubi relativum ad substantivum remotius (Aebutium) referendum est, legit Madv.: *contraque et ille* q. s., sublata lineola vocali extremae imposita. Sed de usu pron. rel. vide Fabr. ad XXI. 26, 2, ibid. Weissenb. — 21, 4: — *ut nec qui consules secundum quosdam* in libris est, in quo multi offensi sunt, quum *secundum quosdam* latine accipi non possit de auctoribus; mutarunt igitur Crevierius et Hauptius *quosdam* in *quosnam.* Madvigius autem, et ipse duplex a Livio pronomen interrogativum positum fuisse statuens, quum in hac pronominis geminatione semper eadem forma utroque loco poni soleat, Livium scripsisse censet: *qui consules secundum quos.* Quam emendationem Reissigium praecepisse Weissenb. monet. — 23, 7: *non iam foro se tumultus sustinet* opt. codd. habent, Harl. *continet;* Madv.: — *se tumultus tenet,* illud *sus* ex extrema syllaba vocis praecedentis ortum putans. — 24, 5 *nec posse-bello praeverti quidquam* scribit; Weissenb. nuperrime Teub. ed. II.: *praeverti sese,* coll. VIII. 13, 1. — 30, 4: *curae fuit consulibus et senioribus patrum, ut imperium suo vehemens mansueto permitteretur ingenio* vulgata lectio est, codd. meliores omnes *imperio suo;* quem locum emendationibus aliorum sane obrutum ex codd. restituendum esse opinatur: *ut imperii vis vehemens.* Mauritii Seyfferti**) rationem non perspicio censentis, imperium suapte vi vehemens mansueto ingenio permittere posse dici, non posse vim imperii vehementem perm. Is igitur mavult: *imperio suo vehemens res,* voce *res* post *vehemens* omissa. Nos olim conieceramus***): *ut imperium suo ingenio vehemens mansueto permitteretur,* verbo *ingenio* a librario suo loco omisso, postea addito. Eiusmodi transpositionem Madv. statuit II. 33, 7 pro: *per patentem portam ferox irrupit caedeque in proxima urbis facta* optime scribens: *irrupit in proxima urbis caedeque facta.* — 36, 2: *iret, ea consulibus nuntiaret* legit *iret et ea.* — Locum 41, 4 interpunctione mutata expedit: *quae (plebs) primo coeperat fastidire munus vulgatum: a civibus isse in socios.* — 45, 16 in verbis *Fabia gens* additamentum antiquissimum iam in archetypo notat. Id tamen monendum est, Livium admiratione magnae Fabiorum virtutis ductum verba coacervare, ut II. 49, 4: omnes unius

*) Ceterum Nannii emendatio (cf. Drakenb. ad h. l.): *ceteri, ut cuique ceciderit, primi* etc. habet quo se commendet.

**) Peropportune mihi accidit, ut Mauritii Seyfferti, viri cum inter antiquitatis studiosos tum inter homines scholasticos celeberrimi, emendationes Livianas, ante paucas hebdomades in annall. philol. et paedag. voll. LXXXIII. et LXXXIV. fasc. I. p. 63—80 propositas, etiamsi non omni ex parte explorare liceret, inspicere tamen et comparare possem. Qui vir, ingenii Madvigii summus laudator et praeco, in haud paucis locis Madvigianas emendationes non reiicere non potuit suasque illis opposuit.

***) Paedagog. Revue V. 48, p. 237.

gentis — unius familiae viribus. Locis a Weissenb. laudatis II. 2, 6; XXXI. 44, 6; Cic. Sull. 11, 32 addi potest Tac. Ann. I. 42: hostium quoque ius et sacra legationis et fas gentium.

II. 51. 4 pro *velut ab arce Janiculi* dubitanter, ut ait, proponit *velut ab arce Janiculo,* Graecorum quodam loquendi usu in particulis ὡς, ὥσπερ frequenter adhibito in comparationem vocato; ibid. Gronovii emendationem: *post acceptam proxima pugna cladem* servat. — 57, 3 interpunctione bene mutata: *nihil relictum esse virium in medio; distractam laceratamque rem publicam; magis, quorum in manu sit, quam ut incolumis sit, quaeri.* — 59, 3: *noluisse, alia gaudere sua clade* i. e. reliqua sua clade, excepta castrorum expugnatione, frequentissimo apud Livium vocis *alius* usu. Libri: *alii*, Haupt. coni. *aliter,* Weissb. *alibi.* — 65, 5: *ut obtinentes locum vires ferebant;* Madv. coni. *reficiebant,* ante *refecerant* (Weissb.) Eundem sensum sequitur Klock. ex manuscr. *(viresuebant) vires resumebant.*

III. 1, 5, ubi legitur, *Antium, propinquam, opportunam et maritimam urbem,* vocem *propinquam* ab aliquo ad *opportunam* adscriptam esse iudicat, quum haec trium (pluriumve) membrorum una serie et aequo gradu coniunctorum enumeratio, interposita inter sola extrema particula *et (ac, atque)*, a Livii quoque usu abhorreat, magnumque numerum similium locorum affert, qui aut mutandi sint, aut in quibus membra ἀσυνδέτως vel particulis *que — et, et — et* inter se iungantur. — 21, 5 legitur *S. C. fiunt, neque tribuni legem eo anno ferrent, neque consules — educerent.* Scribit Madv.: *S. C.* (senatus consultum) *fit, ut* q. s. (ex *fiunt* ortum); „nam Livium utramque pactae inter consules et tribunos concordiae condicionem uno senatus consulto comprehensam putasse, ex tota narratione et rei natura manifestum est, neque unquam Livius post impersonalem dicendi formulam *S. C. fit* aut *factum est* coniunctionem omisit;“ quam rem posteriorem nec affirmare nec negare audeo. — 27, 1 bene pro *patriciae gentis, sed qui* proponit *et qui.* — 28, 9: *ab consule ad dictatorem ire iussi; is infensus ignominiam addidit;* vulg: *ire iussis ignominiam infensus addidit* (dictator). De transpositione verbi *infensus* tacet Madv. — 50, 10: *quanto visa quam audita indigniora oportuerit videri,* pro *potuerit.* Loco difficillimo 61, 12: *iam Horatius eos excursionibus sufficiendo proeliisque levibus experiundo adsuefecerat sibi fidere,* Madvigii medicinam non plane respuimus scribentis: *excursionibus subigendo.* Seyffertus in *sufficiendo* latere putat *subinde.* — 64, 3 praeclaram Madv. emendationem *per factionis suae consules* pro *per factiones suas,* iam ab Ingerslevio exhibitam, iure Weissb. Teub. II. recepit. 67, 6 eleganter: *discordia ordinum et venenum huius urbis, patrum ac plebis certamina, dum — magistratuum, sustulere illis animos.* Jbid. §. 9 recte interpungit: *creastis; consules facere vestrarum partium; etsi* cet. et scribit *iniquos* pro *iniquum* (Par. Harl. Leid. I).

Sunt vero etiam multi loci, in quibus sententiam et rationem viri clarissimi probare non possumus, atque mutationes emendationesque vel nulla causa cogente vel contra loci sensum tentatas exque nimio corrigendi studio profectas abiiciendas esse censemus.

I. 9, 7: *Indici deinde* (Romulus) *finitimis iubet, quantoque apparatu tum sciebant aut poterant, concelebrant, ut rem claram exspectatamque facerent*, scribendum esse putat *concelebrat* et *faceret;* verbi enim posterioris numerum, adiecta litera *n*, accommodatum esse ad verbum in alia sententia interiectum; neque eornm, quae hic tradantur, quidquam ad populum civesque Romanos aut peregrinos referri debere, solum Romulum omnium rerum auctorem esse. Contra vulgatam lectionem tuendam esse censemus. Nam res erat communis studii et consilii: §. 2 ex *consilio patrum* Romulus legatos circa vicinas gentes misit, §. 6 aegre id (quod spernebantur) *Romana pubes* passa et haud dubie ad vim spectare res coepit, §. 9 invitati (peregrini) hospitaliter *per domos*, §. 10 tum *ex composito* orta vis signoque dato *iuventus Romana* ad rapiendas virgines discurrit. Apparet igitur, omnes Romanos in societatem adhibitos esse a Romulo, ut rectissime a Livio dici posset: *concelebrant — facerent.* Mirum sane est, quod vir eruditissimus ad verba *sciebant aut poterant* subiectum *(homines qui tum vivebant)* cogitatione suppleat et substituat, ad verba *concelebrant* et *facerent* substituere nolit. — In eodem fere genere est, quod I., 32, 11 mutatur. Legitur ibi: *quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus* q. s., et, quum genitivi ex verbo *condicere* apti ratio satis explicari nequeat, Livium scripsisse suspicatur: *quarum rerum, litium causa condixit,* ad duos genitivos sine coniunctione positos tertio accommodato. Sed in vetere illa formula non est, quod rariore structura offendamur, et ea quoque causa, ut Madvigii emendationem reiiciamus, movemur, quod, quum in iis, quae sequuntur, Livius trimembri oratione *(dari, fieri, solvi),* usus sit, antea etiam tria membra posita fuisse verisimile est.

Cap. 19, 7 miror, Madvigium, qua est mutandi cupiditate, locum multis multorum coniecturis vexatum: *partem militum locis circa densa obsita virgulta obscuris subsidere in insidiis iussit,* integrum et inviolatum dimisisse. Vertendo „in dem über das Terrain zerstreuten Gebüsch umher" difficultates et duplicis adiectivi molestiam diluit, et *obsita* intellegi vult *passim sparsa,* quae interpretatio adiectivo iuxta posito sane contraria esset. Potest hoc loco superscriptio, de quo vitiorum genere dixit Madv. p. 16, statui: $\frac{\textit{obsita}}{\textit{densa}}$ aut $\frac{\textit{obsita}}{\textit{densa}}$*). Hoc cum loco haud scio an comparari possit ille, qui legitur I., 32, 12:

*) M. Seyfferto et *lucis* scribendum et adiectivum *obscuris* cum *insidiis* iungendum videtur. Sunt insidiae sua natura obscurae, et hoc loco obscuritatis notione aliis verbis iam satis significata nihil molestius esse poest, quam eiusmodi putida verbi abundantia.

hastam ferratam aut sanguineam praeustam, ubi vocem *sanguineam* aut post *praeustam* poni aut pro additamento haberi vult Madv. Hoc quidem praeferendum videtur. Hastae fetialium in hostium fines coniectae erant aut ferratae i. e. ferro praepilatae, aut praeustae i. e. adurendo cuspidatae, et hae quidem praeustae in cuspide sanguine infici solebant. Utroque enim signo bellum et arma indicari poterant.

Cap. 25, 9, ubi legitur: *tum clamore, qualis ex insperato faventium solet*, inter *qualis* et *ex* excidisse, quod nullo modo abesse possit, *esse* censet. Sed abesse potest sine dubio, quum *faventium* non ex *esse* pendeat, sed ex verbo *clamor*, quod intelligendum est; et vere abesse in similibus enunciatis *esse*, exemplis ad XXIII. 14, 2 allatis Fabrius docuit, quae vel transcribere vel aliis augere non opus erit. Cf. Naegelsb. Stil. 2. Aufl. p. 514.

Cap. 30, 5 legitur consentientibus omnibus codd.: *Tullus ad Feroniae fanum mercatu frequenti negotiatores Romanos comprehensos querebatur; Sabini suos prius in lucum confugisse ac Romae retentos.* Madv. pro *suos* scribit *servos*, opinatus agi hoc loco de servis Sabinorum, qui ad servitutem exuendam in asylum Romanum confugerint nec reposcentibus dominis redditi sint; neque *suos* hoc loco *cives* intelligi sibi persuadere potest. Sed neqne *cives* intelligere, neque *servos* substituere opus est; nihil enim impedit, quominus *negotiatores* intelligamus, qui, antequam Sabini Romanos comprehenderant, sive aere alieno pressi sive criminis alicuius rei ad Romanos aufugerant ab iisque retenti erant, ut Sabini pari parem contumeliam retulisse viderentur. — 35, 3: *quod quisquam indignari mirarive posset;* scribendum esse censet usu pronominis postulante *quispiam*. Sed recte se habet aut excusari potest pron. *quisquam*, quod aut universe et generatim significat *quicunque est*, aut tectam continet condicionis notionem; cf. Fabr. ad XXIII. 5, 3; Madv. gramm. lat. §. 494, b.

Cap. 39, 4: *evenit facile, quod dis cordi esset;* pro *esset* scribendum fuisse putat *erat*, aut, ut generalis sententia evaderet, *est* in *esset* a librario immutatum. Neutrum probari potest; nam sensus est, quod a diis, non ab hominibus, institutum et profectum esse putandum est; cf. III. 33, 8: qui consensus privatis interdum inutilis esset; XXXI. 8, 1: ab hac oratione in suffragium missi, uti rogaret, bellum iusserunt; XXIV. 10, 12: qui tum in Ianiculo essent, negarunt (si haec lectio vera est). — 40, 5 pro *quam potuere tumultuosissime specie rixae* et cet. scribendum esse censet *quam potuere tumultuosissimae specie rixae;* at non sunt, ut Madv. vult, verba *tumultuosissime in se omnes apparitores regios convertunt* inter se coniungenda, sed *quam pot. tumult.* per se stant, sc. facere, cf. Fabr. XXI. 41, 4, Mad. gramm. lat. §. 310, 3, et Weissenb. Weid. ed. II. rectam interpretandi viam iniit dicens: *quam tumultuosissime* gehört dem Sinne nach zu der durch specie rixae angedeuteten Thätigkeit.

Cap. 46, 7, ubi dicit Tullia minor ad L. Tarquinium sororis maritum: *et se rectius viduam et illum caelibem futurum fuisse contendere, quam cum impari iungi, ut elanguescendum aliena ignavia esset,* offenditur Madv. infinit. praes. *iungi,* pro quo scribendum fuisse contendit *iunctos,* quum non nunc iungerentur, sed iuncti essent; atque quod in plerisque codd. *esse* pro *esset* scriptum sit, ex quo *ut* mendosum esse arguatur, pro quo in deterioribus codd. partim *haud* partim *aut* legatur, hanc loci formam fuisse coniicit: *et se rectius viduam et illum caelibem futurum fuisse contendere, quam cum impari. Nunc elanguescendum aliena ignavia esse.* Cognosci hoc loco potest, quomodo vir doctissimus, elegantiae studio ductus, si modo aliquam mente conceperit cogitationem, ab alia ad aliam abripiatur correctionem. Sed nihil durius infeliciusque quam hanc huius loci medicinam excogitari potuisse existimo. Nam primum nihil refert, quod in plerisque codd. *esse* pro *esset;* minime *esset,* si legeretur, alio loco in *esse* mutare dubitaret Madv., si ad nescio quam emendationem animo conceptam necessarium duceret. Deinde vero, ne de nimia in literis mutandis audacia dicam, quae tandem est oratio abrupta verbique necessarii durissima omissio, si Livium scripsisse putas: *se rectius — futurum fuisse quam cum impari?* Quid supplebis ad verba *cum impari?* Licebitne supplere, quod necesse est, *iunctos esse,* an statuere, talem in dicendo duritiem aut negligentiam a Livio admissam esse? Quum neque in structura *(potius quam* sequente accus. cum inf.), neque in infinit. praes., in oratione praesertim commotiore, quae hoc loco est, offendi posse censeam, quoniam qui iuncti erant, etiamnunc iunguntur, iuncti tenentur *), nihil muto. Sed si quis quin mutet facere non potest, legat mutato *cum* in *nunc: — quam nunc impari iungi* (VI. 34, 9), qua mutatione vis et ratio infin. praes. haud scio an clarius et gravius significetur; et si codd. quibusdam obsequendum est, pergere potest oratio: — *haud elanguescendum aliena ignavia esse.*

Cap. 56, 4: *anguis ex columna lignea elapsus cum terrorem fugamque in regiam fecisset;* quum perinepte terrorem fugamque facere *in aliquem locum* dici contendat, *in regia* scribit. Sunt autem verba *in regiam* non cum verbo *terrorem,* sed cum verbo *fugam* iungenda, et fugerunt homines in regiam, ut aut portentum, quod conspexerant, regi nuntiarent, aut auxilium ibi praesidiumque quaererent. Neque in regia spatium est, in quo, sed in quod aut ex quo fuga fit. Quid igitur hac in re perinepti sit, equidem non perspicio. Neque magis id probari potest, quod I. 58, 5 proponit. In verbis: *quo terrore cum vicisset obstinatam pudicitiam velut victrix libido,* una litera in similem mutata, scribendum esse putat *vel vi victrix libido,* additis explicandi causa his verbis: „li-

*) Cf. quae Krueger, gramm. lat. § 450 adnot. 3, 2 de hoc usu infinit. praes. pass. dicit. Comparari potest Cic. Cat. II. c. 10, 21: qui iam pridem premuntur.

bido, quae vel sola vi, ne adhibito quidem illo terrore et dedecoris minis, vincebat superiorque erat." Sane moleste sunt verba *velut victrix* addita, et Hertzius, quem Weissb. Teub. II. sequi videtur, recte uncis inclusit; sed quid valeat ad locum expediendum Madvigii commentum, qualis *terror*, qualis *vis* intelligenda sit, non perspicio. M. Seyffert de hac Madv. emendatione sic iudicat: „nusquam facile tantum errorem erravit Madv., quantum in huius loci tractatione: ita eorum quae ipse scriptor paulo ante declaraverat, Lucretiam nulla vi vinci potuisse, oblitus est. Non igitur *vel vi victrix*, quod ille putabat, sed *velut sic victrix* scriptum a Livio censeo."

Cap. 59, 1 scribit: *vos, dii, testes facio, me L. T. Superbum — ferro, igni, quacunque denique* (pro *dehinc*, quod in libris est) *vi possum* *), exsecuturum. Censet enim, si *dehinc* recte se haberet, scribendum fuisse *dehinc exsecuturum*. Sine iusta causa. Alia enim est oratio eius, qui omnia praemeditatus est et in suo quodque verbum loco ponit, alia eius, qui ira odioque incitatus abreptusque pectoris sensus ex tempore profundit. Si quid recte sentio, Madvigii *denique* illud „omnia comprehendens" hoc loco frigidius est.

Lib. II. 18, 4 legitur: *nec quo anno, nec quibus consulibus, quia ex factione Tarquiniana essent — parum creditum sit, nec quis primum dictator creatus sit, satis constat,* quod tuentur consentientibus codd. mell. editiones omnes; nisi quod inter *quibus* et *consulibus* interiectum est *facti, facta, factum, factis,* quod corruptum et e verbo *factione* paulo infra sequente librarii errore praeceptum Rhenano ceterisque editoribus videtur. Madvigius quod prima disiunctio *(nec quo anno, nec quibus consulibus)* et structuram orationis habeat perineptam et reliquam sententiam, (nam ridicule poni pro una re, anni notatione, duplicem temporis significationem,) sine mora eiicit verba *nec quo anno*. Ineptam structuram si eam dicit, quae non satis rotunda et commoda sit, non repugno; quum vero Livii verba non ex suo cuiusque iudicio et arbitrio corrigenda, sed ex codd. auctoritate constituenda esse censeam, nostro loco ut verba, quae in codd. exstant, expungam, adduci non possum, etiamsi non desiderarem, si abessent. Exprimitur duplici illa significatione *(quo anno* et *quibus consulibus)* non solum temporis, sed etiam virorum, qui tum consulatu functi sint, illorumque in republica administranda consiliorum notatio, quod etiam additis verbis *quia ex factione Tarquiniana essent* indicatur. Cf. Weissb. Weid. ad h. l. Intererat sine dubio multum scriptoris eos consules, quibus res credere suspicione ducti noluerant, nominare, et nominasset, si per fontes licuisset. Accentu quodam et sono efferenda est vox *quibus* i. e. *quibus viris*, et *consulibus* tanquam attributi

*) Editt. pleraeque: *possim*.

vim habet = welchen als Consuln. Unum addam, quod pertinet ad illud inter *quibus* et *consulibus* in codd. fere omnibus interpositum *facti, factum* etc. Quod quum omnes editores ex sequente *factione* praeceptum esse censeant, nihil impedit, quominus, quum priore loco post verbum *anno* positum esset, suo loco a librario omissum et paulo post illatum esse statuamus, ut loci forma haec sit: *nec quo anno factum (facti) nec quibus consulibus — creditum sit.* Simile quid iam G. Beckerum excogitavisse Hertzius docet *).

Cap. 42, 10: *qui terrores tamen eo evasere.* Hoc loco prave contrarii significationem inferri affirmans, scribit *tandem* pro *tamen:* significari finem aliquando impositum diuturnae animorum agitationi. Sed recte infertur contrarii significatio; sententia loci est haec: quamvis nullam aliam moti ira numinis causam vates canerent, quam haud rite sacra fieri, *tamen* terrores illi (quos antea indicavit) eo evasere, ut etc. — 48, 6: *et alia bella aut praesentia instabant — aut mox moturos se apparebat Sabinos* delenda vocula *se* legitimae orationis continuationi consulendum esse putat, Seyff. *esse* legere vult. At nolim a Livio abiudicare orationis mutationem et varietatem, in omnibus disiunctionis generibus saepe usurpatam. De verbo *se movere* cf. I. 10, 5; XXIII. 32, 13; XXIV. 19, 6; XXXIV. 20, 5; VIII. 22, 9.

Cap. 49, 4, ubi legitur: *quorum neminem ducem sperneret egregius quibuslibet temporibus senatus,* speciosa est Madv. emendatio: *quorum neminem sperneres, egregius quibuslibet temporibus senatus*, et Hertzio tantopere placuit, ut eam ex Ingerslevii editione in suam reciperet; sed dubito num vera sit. Nam primum non senatoriae virtutes in Fabiis praedicantur, sed militares; deinde *ducem* hoc loco non senatus ducem sive principem sive sententiae alicuius auctorem, quod Madv. vult, intelligendum esse censeo, sed ducem belli gerendi, quem senatus eligit. Quod unicuique ex Fabiis trecentis sex eandem et fortasse nimiam exaggeratamque laudem tribuit, tot eiusdem gentis virorum tantarumque virtutum admiratori ignosci potest. Inesse in hoc loco comparationem quandam tectam cum sui temporis senatu et rei publicae condicione Livium voluisse existimo **). — Cap. 56, 7, legendum esse censet *accusationem — exorsus* deleto *in:* praepositionem *in* plane abhorrere a verbis incipiendi, ut neque *exorsus* neque *exorsus dicere in accusationem* dici possit. Sed praepositio *in* hoc loco non rem, a qua initium fit, sed consilium oratoris significat, et bene sibi respondent verba *in accusationem* et ea quae antecedunt: Volero quum nihil praeterquam de lege loqueretur, insectatione consulum abstinens. Livium

---

*) M. Seyff. alterum *nec* quam cum Madv. tria verba delere mavult: *nec quo anno quibus consulibus — creditum sit, nec quis — creatus sit.*

**) De hac Livii consuetudine cf. quae Kallenbach docte diligenterque disputavit in progr. Quedlinburg. 1860, p. 35: Über T. Livius im Verhältnisse zu seinem Werke und zu seiner Zeit.

verbo *exordiri* absolute et simpliciter usum esse pro *dicere exordiri* haud affirmaverim, sed utitur verbo *coepisse* XXVIII. 27, 1; XXXIV. 31, 1; XXXIX. 15, 2; cf. Tac. Ann. I. 42; XII. 12; Sallust. Jug. 109 extr. *incipit;* Corn. Nep. Alc. 11: sed satis de hoc, reliquos *ordiamur.* Haud scio an Livii illud praef. 12: *initium ordiendae rei* comparari possit. Sed nostro loco legendum esse opinor levi mutatione facta *exortus*, ut Cic. Deiot. 1, 3: exortus est servus, qui, quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus; et de praepos. *in* cf. Cic. ad Att. 15, 1: *in* funus venerat. Seyff. coniicit *convorsus*.

Lib. III. 5, 8: *ni T. Quinctius peregrinis copiis, cum Latino Hernicoque exercitu subvenisset*, praepositionem *cum* tollendam censet; transpositam esse iudicamus pro *cum peregr. cop.*, quod idem Seyffertum statuere videmus. Miror, quod verba *cum Latino Hernicoque exercitu* non eiiciat tanquam ab interprete aliquo addita Madvigius, qui quidem haud gravate eiusmodi interpretamenta statuere soleat. Sic 19, 11, ubi in libris legitur: *At enim legem vos hoc anno perlaturos dictitatis. Tum hercule illo die, quo ego consul sum creatus, male gesta res publica est, peius multo, quam quum P. Valerius consul periit, si tuleritis*, verba extrema *si tuleritis* eiicit, quibus particula *tum* condicionem graviter breviterque comprehendens inepte repetatur, praesertim post adiunctam amplificationem *peius multo — periit;* praeterea pro *tuleritis* scribendum fuisse *pertuleritis.* Verba illa *si tuleritis* sane molesti aliquid habent et in fine periodi claudicare videntur; tamen defendi et possunt et debent. Equidem adduci non possum, ut credam, lectorem haec verba aut declarandae sententiae causa, quae satis per se manifesta est, aut hoc loco adscripsisse, quum sine dubio post vocem *tum* vel supra eam adscripsisset, aut denique hac forma, quum *si pertuleritis* eum scripturum fuisse existimem. Voluit, opinor, consul, qui verba facit, addendis in fine periodi verbis *si tuleritis* exprimere, se dubitare de eventu tribunorum nec putare, illos legem, quamvis dictitarent, perlaturos esse, quum divinis humanisque sceleribus obruti essent. De coniunctione *si* particulam *tum* antecedentem sequente cf. Cic. Tus. III. 22, 52; de perfecti usu *gesta est* cf. Liv. XXI. 44, 9. Livius autem quum saepe etiam in aliis verbis simplici forma utatur pro composita, tum hoc loco, ubi compositum verbum graviorem et singularem notionem exprimens antecesserat, simplici uti licuit. Accedit quod multis in locis, qui proxime antecedunt, in quibus de perferenda lege Terentilia agitur, si quis accurate comparare velit, verba *perferre* et *ferre* promiscue usurpantur. Cf. 16, 6: concilium inde legi *perferendae* habere; 17, 2: discedi ab armis legesque *ferri* placet, §. 9: nec lex tamen *ferri* nec ire consul in Capitolium potuit; 14, 4; 11, 3: in lege, quae per omnes dies comitiales *ferebatur*.

